De
emendatione fabulae Aeschyliae,
quae Supplices inscribitur.

In Aeschyli fabulas quamvis nostra aetate e virorum doctorum studiis multum utilitatis redundaverit, multique versus, qui olim corrupti obscuratique iacebant, iam correcti atque illustrati habeantur, tamen etiamnum tanta depravatorum locorum multitudo restat, ut, qui artem criticam factitare velit, abunde materiae habeat, in qua coniectandi faciat periculum et ingenii acumen exerceat. In qua re quum ego quoque aliquamdiu opellam meam posuissem multaque partim temere partim non prorsus infeliciter tentassem, ne omnis hic emendandi labor iusto fundamento careret aut ad iucundam ludendi levitatem rediret, ante omnia de librorum, quibus Aeschyli fabulas debemus, auctoritate et fide quaerendum esse intellexi, id quod a nemine satis accurate factum mirabar. Itaque me accingebam ad librorum illorum naturam et rationem explorandam; quam rem strenue aggressus ubi per aliquod tempus tractavi, non solum quae intercederet inter singulos libros cognationis ratio et quae cuique fides habenda esset, perspicere, sed etiam vitiorum multorum et originem detegere et emendationem invenire mihi videbar. Horum studiorum specimen edendi occasionem nactus, ne nimia scribendi materia impediar atque obruar, in exemplis afferendis unius tantum fabulae, quae et corruptissima est et maxime a viris doctis neglecta, rationem habebo, Supplicum.

Sunt autem septem potissimum libri, tres codices et quattuor editiones, quibus editores in huius emendatione fabulae usi sunt; quorum nomina haec habeto: codex Mediceus,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

(M. littera a nobis significatus,) codex Parisinus sive Regius L. (P.), codex Guelferbytanus (G.), editio Aldina (A.), Robortelliana (R.), Turnebiana (T.), Victoriana. Horum librorum magnopere dolendum est quod non omnium satis plena notitia nobis contigit. Editiones quidem illas ipse manu tractavi et, quum Wellauerum in lectionibus earum afferendis iusto negligentiorem fuisse sensissem, denuo qua par est diligentia contuli; qui quae p. VI. de Schuetzii fide queritur, ea fere in ipsum cadunt, ita ut, quod illas accuratissime se contulisse earumque varietates omnes diligentissime adnotasse profitetur, profecto non sine vana iactatione et contra veritatem dictum esse appareat. Nam multa eaque memoratu dignissima prorsus praetermisit, nonnulla, quorum ne vestigium quidem inest in illis editionibus, iis tribuit, plurima vitiose enotavit, saepissime in accentuum notatione deliquit.[a] Quarum rerum caussa in eo posita est, quod Wellauerus saepe non ipsos illos lectionis fontes inspexit, sed permultas Butleri adnotationes cum ipsis aut editoris erroribus aut typothetarum sphalmatis transscripsit. Quae quum ita sint, ubi mea de iis libris disputatio scripturae varietati a Wellauero adnotatae repugnare videtur, ne quis me erroris arguat aut finxisse quaedam ad meam caussam tuendam existimet, sed potius ut, ne ipsis illa adnotatio fraudem faciat, caveant, eos qui hanc commentationem legent, oro atque rogo.

Iniquior est nostra in codicum indole exploranda atque iudicanda conditio. Nam Medicei libri quanquam duas collationes habemus, alteram a Salvinio factam, qua Butlerus, Blomfieldius, Wellauerus aliique usi sunt, alteram a nescio quo ad Schuetzianum exemplar a. 1808 editum institutam et editioni Weigelianae (Bibl. class. Lips. 1827) adiectam, quam nondum quisquam ad hanc fabulam emendandam adhibuit, tamen quum et saepe inter se discrepent et neutra ea qua par est cura ac diligentia confecta videatur, aliquot locis, quid in illo libro exstare credamus, dubii ambiguique haeremus. Quem quum bis collatum habeamus, eo iam commodo utimur, ut ex altera collatione de alterius fide iudicare liceat neutramque satisfacere iustis postulationibus intelligamus. Longe autem diligentius facta

---

a) Omnia eius negligentiae exempla afferre quum longum sit, unum tractabo, ex quo quantum illa levitas Aeschylo nocuerit intelligi potest. Suppl. v. 998 — 1000. sic edidit:

καὶ οἷς χεῦμ' Ἐρασίνου περιναίεται παλαιόν,

quod ex A. recepisse se dicit. Vulgata scriptura, in qua reliqui libri omnes consentiunt, haec est: *οἳ — περιναίετε.* Et *οἱ* quidem est etiam in A., unde patet nihili esse *περιναίεται* istud et merum vitium, cuius generis ingens multitudo illam editionem foedat. Quid poeta scripserit, haud difficile est ad inveniendum, si et quid sententia postulet et quid metrum ferat consideramus. Hermanni quidem emendatio *περιναίονται* tantum abest ut probabilis videatur, ut graecae linguae consuetudini repugnare censenda sit, quoniam Graeci habitare semper *ναίειν* dicunt, nunquam *ναίεσθαι.* Scripserat Aeschylus *οἳ χεῦμ' Ἐρασίνου περιναίουσιν παλαιόν. περιναίετε* librarii cuiusdam errori debetur, cui *ἴτε* quod antecedit fraudem fecit, ita ut hic quoque secundam personam desiderari existimaret. Mirabilis sane error, nec tamen incredibilis. Ceterum ne ferri quidem posset illa scriptura Wellaueriana, etiamsi melius esset ab librorum auctoritate munita. Nam nunquam Aeschylus has Anacreontici versus formas: ∪ ∪ — ∪ — ∪ — — et ∪ ∪ — — — ∪ — — respondentes inter se fecit. Non obstat Sept. 705. et 712., quum aut in versu antithetico *ὠμόφρων* mediam syllabam productam habeat aut *εὐκταίαν αι* ante *α* corripiat, quod etiam in *ἰκταίου* Suppl. 380. cadere videtur. Cf. Enger de Aesch. ant. resp. p. 11. 12.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

est posterior collatio, cuius beneficio multae Medicei lectiones nobis innotuerunt, quanquam in ea nonnulla omissa sunt, quorum notitiam priori debemus. Ceterum licet illae collationes nonnunquam inter se pugnent, tamen qui universam codicis Medicei indolem bene exploraverit eiusque cum reliquis libris similitudinem et differentiam perspexerit, plerisque locis quid sit in eo libro sine magno erroris periculo divinando assequi poterit. Cavendum est autem, ne collationi Weigelianae tantum tribuamus, ut, ubi Schuetzius coniecturam aliquam in textu posuit, in ea autem nihil adnotatum est, talem scripturam illo libro confirmari putemus. Sic quod Schuetzius v. 93. *πανάποινον* scripsit, id in M. esse minime est credibile. Idem cadit in v. 111., ubi idem *κάρβανον* edidit, quod in codice non esse ex v. 122. (Well. 128. Sch.) apparet, ad quem allata est Medicei scriptura. Neque v. 337. *ἄρασθαι* in M. legi videtur, neque v. 530. *ἐφάπτορ*, quanquam vera est ea Porsonis emendatio ab omnibus praeter Wellauerum editoribus iure recepta[b]). Addo v. 423. 579. 650. 968. 972. (Well.), quibus locis M. fere cum A. et R. consentire puto.[c])

Multo plura desiderantur ad plenam codicis Parisini et Guelferbytani cognitionem; de quibus fieri non potest quin nostra commentatio admodum manca futura sit. Hos necesse est denuo conferat diligentius, qui hanc fabulam posthac est editurus. Codicem Par., ubi nihil ex eo cognitum est, plerumque ad maiorem reliquorum librorum partem accedere iure nobis videmur statuere; Guelferbytanum autem plurimis locis cum A. congruere accepimus.

---

b) Flagitat eam tum metrica tum grammatica ratio. Ac metro quidem subvenire studuit Wellauerus mutando strophico versu, quod prorsus improbabiliter institutum est. In Lexico autem Aeschylio eam viam iniit, quam etiam Hauptius ingressus est, ut non solum *ἐφάπτορ*, sed etiam *πολυμνῆστορ* scriberet; sed ne hoc quidem fert grammatica lex. Priore enim loco nominativus, altero vocativus requiritur; quod si probatione eget, simillimum ex Sept. c. Th. locum adscribam, ubi v. 131. haec leguntur:

Καὶ σὺ Λύκει' ἄναξ, Λύκειος γενοῦ (cf. v. 120. 121.)
Στρατῷ δαΐῳ στόνων ἀϊτάς.

Sic enim alterum versum scribendum esse docet scholiastae B. explicatio: *τῶν ἡμετέρων στεναγμάτων ἀκροατής.* Nostrae autem fabulae versus hoc metro scriptus videtur: ∪ — ∪ — — | — ∪ — ∪ — ∪

c) Numeri versuum sunt editionis Wellauerianae.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf